DE TEMPORIBVS
ORATIONVM ANTIPHONTEARVM

SCRIPSIT

FR. KIRCHNER.

I.

Antiphontis Rhamnusii orationes quas aetas nobis non invidit quindecim qui nescio quam summam speciem orationum requirentes subditas esse opinarentur et patrum et nostra memoria haud pauci extiterunt. Sed qui idoneis causis illam opinionem confirmaverit adhuc novi neminem. Ac profecto tales causas si quis exquirere volet, non leve onus humeris suis imponet. Nam primum eum oportebit demonstrare qui factum sit ut Pollux Harpocratio Ammonius Suidas Stobaeus alii illas orationes in Antiphontearum numero haberent. Quorum testimonia ubi quaerenda sint discas ex praefatione quam Maetzner editioni Antiphontis suae praemisit [p. IV. et sq.]. Illi si quae verba ex oratione iam antiquitus suspecta afferunt, adnotatione aliqua solent id indicare: de Antiphonteis nihil quidquam eiusmodi addiderunt. Sola prima quae est in novercam habita nusquam commemoratur. Quod casu factum est: nam haec quoque plane refert ingenium Antiphonteum. Deinde quae iudicia a veteribus criticis Hermogene Philostrato auctoribus vitae Antiphontis aliis de orationibus eius lata sunt, ea quadrant in reliquias quae ad nos pervenerunt, et in eisdem Dionysius criticus Halicarnassensis et Trypho, ut alios taceam, simile dicendi genus atque in Thucydide historico deprehendere sibi visi sunt [Maetzner p. V—IX.]. Ergo aetate Thucydidis hi iudicaverunt eas non indignas, indignas vero esse is debebit docere qui eas ab Antiphonte abiudicaverit. Neque vero facile unam alteramve ex illis quindecim orationibus in suspitionem vocare poterit. Nam sive rationem grammaticam sive usum et delectum verborum sive singulas locutiones sive sententias et ratiocinationes spectaveris, ea omnia in omnibus quam maxime similia reperies. Ac sine negotio, si res postularet, quae in his omnium orationum Antiphontis propria sunt in unum redigerem, quemadmodum nuper

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

orationem funebrem cum reliquis Lysiae scriptis comparavit Le Beau [Lysias Epitaphios als echt erwiesen p. 71—92]. At non iuvat defendere ea in quibus temere offensum est.

Harum autem Antiphontis reliquiarum tempora investiganti seiungendae sunt tres tetralogiae, quas olim partem artis effecisse homines docti merito coniecerunt. Hae quibus temporibus scriptae sint accuratius quaerere inutile est. Nam cum in fictis causis totae versentur, nihil continent unde tempora ad certos terminos revocare possis.

II.

Trium quae restant orationum antiquissimam esse censeo eam quae est de caede Herodis. Qua ineunte reus, qui est Mytilenaeus, queritur quod facundia et usu rerum et peritia causarum forensium careat petitque a iudicibus veniam si quid lingua peccet [1—3. 5]. Quae non fecit mere ex oratorum in exordiis se excusandi more: sed constans sibi media quoque oratione [75] periculum esse fatetur ne verbis malis recte facta patris infirmet. Atque id quod gravius est, ipse cur infacundus sit alibi declarat. 'Minor ego sum multo, inquit [79], quam qui possim mihi patrocinari satis', et postquam hominum extremo supplicio affectorum quos insontes esse sero cognitum esset exempla attulit, 'haec, inquit [71], recordantur maiores natu, minores fando inaudiverunt quemadmodum ego.' Adulescens admodum igitur fuit quo tempore se defendit. Athenienses autem adulescentes duodevicesimo aetatis anno e patria potestate liberabantur, atque exinde privata iura omnia eis licebat exercere [Schaefer. Demosth. III, 2. p. 35 et 36]. Neque antea ille Mytilenaeus ipse suam causam videtur potuisse orare. Athenis enim suffragium de eo ferendum erat, quoniam subiectae Atheniensibus civitates, qualis tunc Mytilenaeorum fuit, de capitalibus rebus iudicare vetitae erant. At ne iusto minorem aetatem ei tribuamus cavendum est. Sicut enim patri eius, qui modo in urbe Mytilenaeorum modo Aeni in colonia illorum habitabat [20. 78], opes erant haud exiguae [76. 77], sic filius quoque satis multa habebat quibus vel subvenire amicis laborantibus vel spem certe subveniendi facere posset [63] vel in inimicis alienorum cupidis invidiam crearet [79]. His suis divitiis usum eum esse putaverim ad mercaturam faciendam, neque alia de causa uno servo comite itinera varia videtur suscepisse. Etenim non solum Lesbum inter et Aenum navigabat [20. 29], sed etiam Athenas ex illis locis proficisci solebat. Nam eo non venerat purgandi sui gratia, quandoquidem nullius facinoris conscius sibi erat [93. cf. 13], neque est cur tunc primo illuc se contulisse existimandus sit. Usui igitur commercioque hominum implicatus videtur fuisse diutius et arctius quam pro adulescentulo vix duodeviginti annorum. Quocirca fere duos et viginti annoseum egisse arbitror. Qua aetate non inepte illa quae commemoravi dixit 'esse se multo minorem quam qui possit ipse se defendere satis.'

Aetate autem adulescentis indagata multum in quaestione nostra profecimus. Namque exeunte anno Ol. 88, 1 puerum vel fortasse infantem qui ne maximam quidem calamitatem patriae suae mente comprehenderet eum fuisse ex oratione facile colligimus [74—80]. Ad-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

versarius enim patri eius per calumniam exprobraverat quod cum Mytilenaei ab Atheniensibus desciscerent et postea quoque infidum vel suspectum certe se praebuisset. Filius succurrendum parenti esse ratus rem aleae plenam suscepit. Nam multo minor illa defectione erat eamque nisi ex aliorum sermonibus compertam non habebat. Graeca ipsius verba adscripsi. '*Ἐγὼ πολλῷ νεώτερος τῶν ἐκείνου πεπραγμένων*' et '*Ἀναγκάζων ἐμὲ ἀπολογεῖσθαι ὧν ἐγὼ πολλῷ νεώτερός εἰμι καὶ λόγῳ οἶδα, ταῦτα οὐ δεινὰ ἡγεῖται* [adversarius] *εἰργάσθαι.*' Mytilenaei autem ab Atheniensibus defecerunt quarto belli Peloponnesiaci anno. Autumno anni Ol. 88, 1 urbs eorum ab hostibus cincta est, eaque calamitate plus sex menses premebantur. Exeunte anno Ol. 88, 1, i. e. vere vel aestate anni a. Chr. n. 427 deficiente frumento et plebe seditionem movente se dedere coacti sunt [Thuc. III, 28]. Poenas gravissimas perfidiae suae pependerunt. Naves suas amiserunt, moenia urbis excisa, agri civibus Atheniensium assignati, auctores defectionis plus mille interempti sunt, quod ipse orator noster attingit [77]. Apparet igitur tunc omnium rerum maxime miserandam conversionem ac perturbationem apud Mytilenaeos evenisse. 'Nemini Mytilenaeorum, inquit noster, e memoria excidet error ipsorum et ex illo contracta clades, qui ingentem pristinam amplitudinem suam beatamque conditionem cum extrema atque miserrima infelicitate commutarint patriamque viderint desolatam.' Hoc tam grave patriae suae excidium si reus Mytilenaeus propter pueritiam vel infantiam animo nondum comprehendebat, tunc egressus vix erat annum aetatis duodecimum. Nam maioris aetatis puer acerbitatem rerum civitatis suae maxime calamitosarum quibus cotidie intersit non potest non sentire. Ita iudicabunt omnes qui puerorum naturas perspexerint. Atque puerum ne dicam infantem tempore infortunii illius reum nostrum fuisse confirmant etiam haec. Patrem suum asseverat animo semper eodem in Athenienses fuisse, sed re non potuisse pristinam voluntatem testari. '*Οὔτε γὰρ ἐκλιπεῖν*, inquit, *τὴν πόλιν εὐρόπως εἶχεν αὐτῷ· ἱκανὰ γὰρ ἦν τὰ ἐνέχυρα ἃ εἴχετο αὐτοῦ, οἵ τε παῖδες καὶ τὰ χρήματα*' [76]. Scilicet pater in sua civitate remansit non solum quia iacturam rei familiari imminentem metuebat, verum etiam quod parvi liberi ut verbo dicam infantes, in quibus noster numerare se videtur, prohibebant quominus urbe undique obsessa, obsidebatur autem diutius quam per semestre spatium, expedita clandestinaque fuga excederet. Tunc igitur liberi eius nondum erant adulti. Sed quo tempore filius orationem habuit pater erat senex grandaevus ad dicendum non iam aptus. Nam loquitur ille de eo hunc in modum: '*πολλῷ πρεσβύτερός ἐστι τῶν ἐμῶν πραγμάτων*' [74] et '*γέρων ἐκεῖνος ὥστ' ἐμοὶ βοηθεῖν*' [79]. Probabile est autem inter senectutem grandiorem et id tempus quo quis complures liberos nondum adultos habeat minimum decem annorum intervallum interesse. Neque enim illis verbis ideo fides abroganda est quod ab oratore proferuntur. Qui enim potuit ille aut patris qui actori haud dubie notus erat [79] senectutem aut ipsius qui in iudicum conspectu orabat iuventutem impudenter in maius augere? Nimirum in mendacio facile deprehensus esset. Decenne vero illud nisi fuit longius intervallum optime cum eis concinit quae filius de rebus post supplicium Mytilenaeorum a patre gestis dicit. '*Οὐκ ἔστιν ὅ τι ὕστερον αὐτῷ ἡμάρτηται, οὐδ' ὅ τι οὐ πεποίηται τῶν δεόντων, οὐδ' ἧς τινος*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

λειτουργίας ἡ πόλις ἐνδεὴς γεγένηται, οὔτε ἡ ὑμετέρα οὔτε ἡ Μυτιληναίων, ἀλλὰ καὶ χορηγίας ἐχορήγει καὶ τέλη κατετίθει' [77]. De quibus quae homines docti disputarunt commemorare longum est et a meo consilio alienum: ego hoc moneo. Atticis civibus eodem tempore non iniungebantur nisi singula munera ea quae Graeci *λειτουργίας* vocabant, neque binis deinceps annis bis eiusmodi officia erant eis subeunda [Schoemann antiq. i. p. Gr. p. 329 no. 16—19]. Non est autem cur apud Mytilenaeos, qui satis superque puniti iam erant, alia ratio molestior ab Atheniensibus fuerit instituta. Ergo ad complura eiusmodi munera praestanda satis diuturnum temporis spatium requirebatur.

Sed ut a longo quasi cursu respiremus uno obtutu complectamur quae probabilitatis calculo subducto hactenus sumus assecuti. Extremo anno Ol. 88, 1 reus Mytilenaeus fuit vel infans patris fugam, si in fuga salutem is quaerere voluisset, prohibiturus vel certe puer non plus duodecim annorum. Inde praeteriit satis multum temporis idque decennio non minus ad habitam hanc orationem. Quo deducimur ut minimum accipiamus ad annum Ol. 90, 3 extr. Alia autem via tempore habitae orationis illum fere duos et viginti annos egisse probavi. Si igitur extr. anno Ol. 88, 1 puer duodecim annorum fuerat, item decennio post sive anno Ol. 90, 3 extr. caedis insimulatus est: sin, id quod veri est similius, nondum ex infantibus excesserat, adeo aliquot annis latius descendendum nobis est. Sed utcumque res se habet, ex illis rationibus probabile est admodum ante Ol. 90, 3 extr., id est ante ver vel aestatem anni a. Chr. n. 417 non esse scriptam orationem.

Certiore quidem termino tempus eius adstrinxit Dobreeus in adversariis [p. 171], cui sub defectionem Jonicam statim post cladem ab Atheniensibus in Sicilia acceptam composita videtur esse. Quae sententia Maetznero [p. 238] et Guilelmo Herbstio in progr. Coloniensi anno 1861 emisso [Der Abfall Mytilenes von Athen im pelop. Kriege. p. 8] placuit. Verum Britannus ille et rei probabilitatem parum curavit et malo argumento usus est. Etenim Mytilenaei non multo post illam cladem Atheniensium anno Ol. 91, 4 extr. [aestate anni a. Chr. n. 412] iterum ab illis desciverunt et recuperati sunt [Thuc. VIII, 22. 23. 100.]. Moliti erant autem defectionem Lesbii iam proxima hieme ac vere [Thuc. VIII, 5. 7.]. Quae si facta iam fuissent reus Mytilenaeus attigisset ubi crimina patri ab inimico illata diluit eumque in priore defectione et postea pro rerum conditione egregie fidem Atheniensibus praestitisse demonstrat. Sive enim pater tunc a suspitione non fuerat liber, filius res eius in melius excusare debebat, sive etiam tunc laudabilem se praebuerat, laudandi hunc locum omittere filius utique non poterat. Ex silentio sane ducta argumenta plerumque non satis certa sunt: sed illud est silentium quasi 'argutum' verbisque paene disertius. Itaque oratio est habita ante hiemem vel ver anni Ol. 91, 4 [4 13/12] et ante defectionem Jonicam.

Malo autem per se argumento Dobreeus usus est, quod verba oratoris [78] ad Iones rettulit quae ita intellegere non erat necessarium. *'Εἰ δ'ἐν Αἴνῳ χωροφιλεῖ, τοῦτο οὐκ ἀποστερῶν γε τῶν εἰς τὴν πόλιν ἑαυτὸν οὐδενὸς οὐδ' ἑτέρας πόλεως πολίτης γεγενημένος, ὥσπερ ἑτέρους ὁρῶ τοὺς μὲν εἰς τὴν ἤπειρον ἰόντας καὶ οἰκοῦντας ἐν τοῖς πολεμίοις τοῖς ὑμετέροις καὶ δίκας ἀπὸ ξυμβόλων ὑμῖν δικαζομένους, οὐδὲ φεύγων τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτε-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ρον, τοὺς δ'οἵους ὑμεῖς μισῶν συκοφάντας' [78]. His filius excusat patrem, cui adversarius vitio verterat quod Aeni, quae fuit urbs Thraciae ad Hebrum sita, degere soleret. Neque metuendum ei erat ne excusaret frustra. Nam Aeni mentione facta displicere iudicibus minime potuit. Quippe Aenii etsi erant maximam partem coloni Mytilenaeorum bonos tamen socios Atheniensibus se illo tempore praestiterant. In tributorum catalogis referuntur tributa, quae pensa ab eis sunt inter annos Ol. 83, 3 et 90, 4 [Boeckh. oec. civ. II, 668]. Cleoni Pylum proficiscenti Aenios cum militibus cetratis, quale genus Thracum proprium erat, auxiliatos esse narrat Thucydides [IIII, 28]. Ac si forte oratio scripta est post inceptam ab Atheniensibus expeditionem Siciliensem, possum eodem teste adhibito [VII, 57] adicere etiam illius belli participes fuisse Aenios socios ut Thucydides scribit 'ὑποτελεῖς'. Quae si ita sunt, recens eorum quae illi praebuerant memoria animum fortasse addidit reo patrem excusanti. Ac sane non sine studio recensere videtur crimina quibus non queat maculari nomen patris ideo quod commoretur Aeni. Qua in urbe Atheniensibus coniunctissima iure eum negat fugere 'τὸ πλῆθος' illorum. Quae ita interpretanda sunt: non aspernari eum vel iudicum consessum vel formam rei publicae popularem. Secutus enim non erat partes optimatium qui e Lesbo insula aufugerant. Nam a divitibus potissimum Mytilenaeos pellectos aliquando esse ad defectionem ex Thucydide scite collegit Herbstius [p. 7 et sqq]. Eosdem autem optimates carpit verbis quae illa antecedunt. Quae nisi manu emendatrice adhibita apte intellegi nequeunt. Nam ut vulgo scripta leguntur, homines in civium numerum ab hostibus Atheniensium recepti his 'δίκας ἀπὸ ξυμβόλων' intendere dicuntur. At ξύμβολα erant pactiones quibus civitates frequenti usu commercioque inter se coniunctae utebantur, non hostes, vel ut Harpocratio docet 'συνθῆκαι ἃς ἂν αἱ πόλεις θέμεναι τάττωσι τοῖς πολίταις ὥστε διδόναι καὶ λαμβάνειν τὰ δίκαια' [Schoemann. antiq. Gr. II, 26.]. Interpositis igitur 'τοὺς δέ' vocibus scribendum esse censeo . . . τοὺς μὲν εἰς τὴν ἤπειρον ἰόντας . . . τοὺς δὲ καὶ δίκας . . . . Atque illa inseri voluerunt iam Reiskius et Maetzner, qui sermonem claudicare perspexerant, cum praemissis τοὺς μὲν εἰς τὴν ἤπειρον ἰόντας vocabulis nihil responderet. Sed illi emendatione vera neque ea difficili detecta male explicare verba non desierunt. Reiskius enim putavit de Atheniensium civibus dici quae apparet spectare ad optimates Mytilenaeorum, et Maetzner [p. 237 et sq.] satis habuit Platneri Schoemanni Heffteri commenta adscribere, qui falsa lectione explicationes spinosas excogitare coacti erant. Perspicuum est enim duo genera eorum discerni qui Mytilenis relictis alius urbis cives facti sint. Alterum genus est eorum qui in continentem se contulerunt et habitant apud hostes Atheniensium, alterum eorum qui his adeo lites mercatorias conciunt, non inimicae nimirum eis urbis cives facti. In quibus nihil est quod opus sit referre ad defectionem Ionicam, neque eo quod hostes commemorantur Dobreeus ad opinionem suam debebat induci. Nam illi hostes in continente Asiae aut sunt Persae aut, id quod non abhorret a veri similitudine, ipsi qui insulam suam reliquerant Mytilenaei et alii Aeoles. Illi enim hostilia adversus Athenienses consilia agitare non destiterunt. Statim post captas ab his Mytilenas adiuti ab exulibus Ionicis Alcidam ducem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Lacedaemoniorum stimularunt ut urbem aliquam Ionicam aut Cumam Aeolicam occuparet, unde Ionia ad seditionem perduceretur [Thuc. III, 31]. Postea octavo belli Peloponnesiaci anno eam partem Aeoliae quae e regione Lesbi insulae sita olim Mytilenaeis paruerat, tunc vero in Atheniensium ditione erat [Thuc. III, 50 extr.], recuperare studuerunt. Cum reliquis igitur exulibus Lesbiis *'ὁρμώμενοι οἱ πολλοὶ ἐκ τῆς ἠπείρου'* Rhoeteo potiti Antandrum proditione ceperunt, eratque eorum consilium reliquas urbes *'τὰς ἀκταίας καλουμένας'* liberare [Thuc. IIII, 52]. In quibus Assum et Gargara potissimum numeranda esse docuit Herbstius [p. 21 et 23]. Ergo non idoneo Dobreeum nixum esse argumento satis explicatum est. Composita est igitur oratio inter annos Ol. 90, 3 extr. et 91, 4 extr. Si vero quae ex Aeno commemorata conieci probabilia sunt, oratio tribuenda est tempori expeditionis ab Atheniensibus in Siciliam susceptae. Quam paraverunt hieme et ineunte aestate anni Ol. 91, $\frac{1}{2}$ [415 a. Chr. n.], male autem cedere res eorum coeperunt anno Ol. 91, $\frac{3}{4}$ [413], ut optio eligendi sit data inter duos annos.

III.

De saltatore oratio eiusdem fere temporis est, et post illam sicut legitur in codicibus sic etiam scripta videtur esse. Et in Peloponnesiaci quidem belli tempus cadere eam facile suspiceris inde quod commemoratur Pantacles, quem chori magistrum ad Thargelia sorte nactus est choragus qui se defendit [11]. De quo Pantacle melico ut videtur poeta egerat teste Harpocratione [v. *διδάσκαλος*] Aristoteles in didascaliis. Ubi quoniam poetae secundum annos descripti fuerant, haud dubie loco qui congrueret cum Antiphontis tempore subiectum eum invenit vel Harpocratio vel Didymus cuius ille usus est commentariis. Ad idem tempus puto spectare sive inscriptionis sive didascaliae particulam a Stephano Byzantio servatam, quam redintegravit Meinekius [hist. crit. com. Gr. p. 6], qua idem Pantacles chori magister perscriptus est. Fortasse ne is quidem quem Aristophanes in ranis irridet [1036 Bergk.] a nostro diversus est. Nam tempore aequalis est, cum illa fabula in scenam producta sit anno Ol. 93, 3. Post orationem autem quae est de caede Herodis conceptam hanc esse inde colligo quod partes nonnullae ex illa in hanc depromptae sunt. Quarum prima quidem dubitari potest utrum in hac oratione ab Antiphonte scripta sit an contra: si est, ex illa in hanc translatam eam esse iudico. Complectitur enim in hac totam §. 2 [*καὶ τοὺς μὲν νόμους . . . διδάσκουσιν ἢ οὔ*], in illa §. 14 [*καίτοι τούς γε νόμους . . . διδάσκουσι τὸ πρᾶγμα ἢ οὔ*]. In posteriore id agit reus Mytilenaeus ut non convenienter legibus Atticis actorem ipsi instare demonstret [8—18]. Etenim maleficii [*κακουργίας*] quidem crimine se arcessitum esse, caedis vero actionem in se nunc intendi ab illo, quamvis peculiariter de utroque illorum scelerum legislator praeceperit. Deinde in loco quem ingredi caedis reus vetitus sit fieri iudicium, atque iniuste aestimationem litis factam esse ab adversario. Jureiurando autem gravissimo quod in homicidii causis iurari fas sit nec illum nec testes esse devinctos [9—12]. Item per malitiam se dici aufugiturum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fuisse nisi in carcerem abductus esset. Neque enim invitum se venisse in terram Atticam, et licere omnibus homicidis per legis beneficium post priorem defensionem urbe excedere. 'Tu vero, inquit, iure quod Graecis omnibus commune est me privas et arbitratu tuo leges tibi commentus es.' Iam sequuntur quae etiam in altera leguntur oratione. 'Et tamen leges quae latae sunt de eiusmodi rebus neminem opinor negare aequissimas legum omnium esse. Sunt enim et antiquissimae in terra hac et eaedem adhuc quae fuerunt primitus, id quod maximum est documentum legum bene latarum. Tempus enim et usus prava et recta edocent homines. Itaque non oportet vos ex actoris verbis leges discere rectene an secus se habeant, sed ex legibus actoris verba utrum recte vos doceant rem an non item.' Hactenus verba aequalia sunt. Addit haec: 'sic leges de homicidiis optime latae sunt, ut nemo umquam eas temerare ausus sit. Tu vero solus ausus es legislatorem te gerere ad pessima quaeque consilia.' Haec deinde explanat [15—18] improbas actoris in se fallacias aperiens atque in primis rursus exponit quam non sint observatae leges, quod effectum sit ut spretis vadibus custodiae mandaretur. Quae omnia cohaerent inter se aptissime. Quid potuit enim reus postquam spretas esse ab adversario leges Atticas aliquotiens diserte ostendit [12. '*ἃ σὺ παρελθὼν αὐτὸς σεαυτῷ νόμους ἐξευρών . . . . τὴν σὴν παρανομίαν κρείσσω γενέσθαι αὐτῶν τῶν νόμων.*' 13. '*αὐτὸς σαυτῷ νόμον θέμενος*],' quid potuit facere convenientius quam generatim laudare leges atque postulare ut ad has iudices in iudicando normas se dirigerent, non ad actoris verba? Egregie igitur huius licentiae universam legum vim ac praestantiam opposuit, apparetque illa suum hic tenere locum. Omitti autem non possunt: ita enim sententiae quae restarent pessime quasi hiarent. Quibus quae aequalia sunt in altera de saltatore oratione [2], ea offensione carerent, si acquiescendum esset in opinione Maetzneri, cui illa videntur 'omnia optime in hunc quoque locum convenire' [p. 250]. At multo minus conveniunt. Reus enim qui se defendit ab initio orationis 'Iucundissimum est quidem, inquit, homini nunquam capitis discrimen subire, si vero devitare certamen nullo pacto queat, infortunio magis quam culpa teneri neque ullius sibi conscium esse delicti.' Iam sequitur laus illa legum bene latarum iudicumque adhortatio ut has respiciant, non accusatoris verba. Quae hic ubi de adversario communes omnium leges arbitrio suo mutante antea dictum sit nihil minus apte inculcantur quam in altera oratione. Atque si haec non legerentur scripta, ea quae restarent conexa inter se essent convenientissime. Ita reus postquam generatim exposuisset quid maxime esset expetendum, si in quem summum capitis periculum ingruisset, statim ad se transiret [3] diceretque sibi esse eiusmodi discrimen maximum, arbitrari autem se quo gravius id esset eo magis iudicum interesse ut de his homicidiorum causis ex aequo iudicarent. Omissa enim §. 2 verba sic se habent: '*Εἴ τις καὶ ἀναγκάζοιτο κινδυνεύειν, τοῦτο γοῦν ὑπάρχειν [ἂν εὔξαιτο] ὅπερ μέγιστον ἐγὼ νομίζω ἐν πράγματι τοιούτῳ, αὐτὸν ἑαυτῷ συνειδέναι μηδὲν ἐξημαρτηκότι, ἀλλ' εἴ τις καὶ συμφορὰ γίγνοιτο, ἄνευ κακότητος καὶ αἰσχύνης γίγνεσθαι καὶ τύχῃ μᾶλλον ἢ ἀδικίᾳ . ὁ μὲν οὖν ἀγὼν ἐμοὶ μέγιστος τῷ κινδυνεύοντι καὶ διωκομένῳ · ἡγοῦμαι μέντοι γε καὶ ὑμῖν τοῖς δικασταῖς περὶ πολλοῦ εἶναι τὰς φονικὰς δίκας ὀρθῶς διαγιγνώσκειν.*'

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Alia infra addam: interim satis habeo docuisse minus accommodata esse verba illa gemina huic orationi quam alteri. Patet autem sententias easdem eisdem verbis comprehensas, quae vel a duobus positae sunt ita ut alteruter eas ex alterius opere aliquo hauserit vel ab eodem bis, ubi concinnius cum reliquis cohaereant ibi prius fuisse scriptas. Nam solent quae sua quasi sponte primo in mentem nobis veniunt magis in loco concipi quam si ea non mutata iterum dedita opera alibi adhibemus. In proclivi est igitur coniectare repetita esse illa verba ex oratione quae est de caede Herodis in altera de saltatore, quo efficitur hanc illa esse recentiorem.

Spengelius quidem in eo quem de artium scriptoribus composuit libello [p. 109] in neutra oratione ea verba primitus fuisse, sed extitisse iam antea opinatur sive in locis communibus sive in prooemiis et epilogis, quos paratos habuisse Antiphontem memoriae traditum sit. Quo labefactari forsitan aliquis crediderit meam disputationem. Nam si res ita se habeat, affirmari non iam possit utra in oratione iterata illa sententia prius fuerit scripta. At quis tandem sibi persuadeat locos illos communes farraginem quandam exiguarum sententiarum fuisse? Immo rectissime Sauppius tetralogias, quae adhuc extant et partem haud dubie artis effecerant, illos coniecit communes locos esse quos ab Antiphonte tractatos esse Aristoteles apud Ciceronem Bruti §. 47 tradit [fragm. Antiph. XXIII]. Deinde ex libro prooemiorum et epilogorum vel epilogum vel prooemium exscribi potuisse intellego: verum sententiam non ita longam, quae ne est quidem in exordio alterius orationis, inde depromptam esse non credo, praesertim cum ea in ore Mytilenaei tam bene se habeat tamque quasi primigeniam originem prodat ut non videatur aliunde petita esse. Ergo si ab ipso Antiphonte etiam in altera de saltatore oratione verba illa profecta sint, hanc esse recentiorem iudicaverim. At res dubia est. Dobreeus enim in adversariis [p. 173] illam partem aequalem ex oratione choragi [2] tolli voluit, atque ea ratio, ut dicam quod sentio, maxime mihi placet. Sane ille si nihil aliud efficere studuit nisi ut eorundem verborum in duabus orationibus iteratio evitaretur erravit: nam apud oratores Atticos in eiusmodi iterationibus offendendum non esse intellegentes noverunt. Fortasse vero de eisdem vel similibus argumentis quae ego explicaturus sum cogitavit: de rationibus enim suis aperuit ipse nihil. Ac primum quidem suspitionis aliquid certe inde nascitur quod illa verba cum reliquis in hac oratione minus apte cohaerent quam in altera, quodque omissis eis non modo desideratur nihil, verum etiam sententiae optime inter se conexae relinquuntur. Quod supra demonstravi. Praeterea illis si essent genuina praepostere reus iudices admoneret ut actorum dicta legibus metirentur: nam paulo post [3. *ὁ μὲν οὖν ἀγών . . .*] tale periculum quale §. 1 generatim adumbraverat instare sibi declarat atque tum demum a se ad iudices transit. '*ἡγοῦμαι μέντοι γε καὶ ὑμῖν τοῖς δικασταῖς περὶ πολλοῦ εἶναι τὰς φονικὰς δίκας ὀρθῶς διαγιγνώσκειν . . .*', quae opinor hic perperam loqueretur si iudices modo compellavisset. Alia causa cur interpolantis manum haud inepte mihi videar internoscere in verbis ipsis est posita non in sententiis. Etenim gemina in oratione de nece Herodis pars initium sumit a verbis quae sunt *καίτοι τούς γε νόμους οἳ κεῖνται περὶ τῶν τοιούτων* e. q. s., in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quibus *καίτοι* particulam eam vim habere patet ut auctoritas legum sempiterna licentiae actoris opponatur. Hic vero qui verba interpolavit scripsit pro illis haec '*καὶ τοὺς μὲν νόμους . . .*': scilicet cum intellexisset, *καίτοι* particula si relinqueretur, non esse cui legum laus esset contraria, cetera nihil curans posuit aliquid quod primo adspectu a reprehensione liberum esset. Sed si introspicere altius velis incassum quaeres quid *μέν* particulae respondeat. Cuius rei facilem vel potius levem affert excusationem Maetzner [p. 250] dicens *μέν* hic ad *γέ* particulae vim accedere atque *γέ* legi in gemino loco de c. Her. 14, remittitque nos ad ea quae in commentario de *μέν* particulae usu Antiphonteo congessit alio [p. 153]. Ibi ipse ab hac sua explicatione recedit: illud exemplum enim adnumerare videtur eis quibus 'propter sequentia quae amplificandi studio debentur a proposito aberrat oratio.' Nullum autem ex eis quae affert exemplis tale est quale cum hoc apte comparetur: sed sua cuique est ratio. In oratione in novercam scripta §. 25 '*πότερον δικαιότερον οἰκτεῖραι μᾶλλον τὸν τεθνεῶτα ἢ τὴν ἀποκτείνασαν; ἐγὼ μὲν οἶμαι τὸν τεθνεῶτα*' ex usu plane vulgari *μέν* solitarium ut ita dicam ad *ἐγώ* pronomen est additum. De tetralogiae primae prima oratione §. 7 '*τάδε μὲν δράσας καὶ λήσειν . . .*' ad excusandum *μέν* per se positum haec scripsit Maetzner: 'Antiphonti obversata est haec sententia: *εἰ δὲ μὴ* [i. e. *τάδε δὲ μὴ δράσας*], *καὶ ἁλώσεσθαι τὴν γραφὴν καὶ ἀτιμώρητος διαφθαρήσεσθαι.*' At iam Reiskius, cui adstipulatus est Funckhaenel [ann. Fleckeis. 1859 p. 195], ibi scribendum esse vidit '*εἰ δὲ καὶ ἁλοίη*' pro eo quod est in libris '*εἴ τε καὶ ἁλοίη*', ut verba sint haec '*ἤλπιζε δὲ* [ita Sauppius pro *τέ* particula] *τάδε μὲν δράσας καὶ λήσειν ἀποκτείνας αὐτὸν καὶ ἀποφεύξεσθαι τὴν γραφήν. οὔτε γὰρ ἐπεξιέναι οὐδένα, ἀλλ' ἐρήμην αὐτὴν ἔσεσθαι · εἰ δὲ καὶ ἁλοίη, τιμωρησαμένῳ κάλλιον ἔδοξεν αὐτῷ ταῦτα πάσχειν ἢ ἀνάνδρως μηδὲν ἀντιδράσαντα ὑπὸ τῆς γραφῆς διαφθαρῆναι.*' Ubi inter se respondent quae litteris distinctioribus impressa sunt. 'Sperabat ille quidem occiso viro [*τάδε δράσας*] se causam [*γραφὴν ἱερῶν κλοπῆς*, de qua vide §. 6] quae ei ab illo imminebat devitaturum esse. Sed etiamsi accideret ut deprehenderetur et damnaretur, multo gloriosius ei visum est non inultum cadere.' Apparet autem Maetznerum in errorem inductum esse *μέν* particula post *τάδε* vocem collocata. Sed in verbis illis quae sunt '*ἤλπιζε δὲ τάδε μὲν δράσας*' legitimus post '*ἤλπιζε*' locus propter *δέ* interpositum ei particulae non patebat. Non minus falso in eiusdem tetralogiae oratione altera §. 5 '*τὸ μὲν γὰρ μὴ ἐκδυθῆναι οὐδὲν σημεῖόν ἐστιν*' Maetzner rursus opinatur *μέν* fere idem atque *γέ* significare. At mutuam relationem esse censeo inter *μέν* illud et *δέ* quod sequitur ineunte §. 6: '*ἔστιν οὐκ ἀπεικὸς ἀωρὶ τῶν νυκτῶν πλανώμενον ἐπὶ τοῖς ἱματίοις διαφθαρῆναι. Τὸ μὲν γὰρ μὴ ἐκδυθῆναι οὐδὲν σημεῖόν ἐστιν . . . εἰ δὲ μὴ καὶ ἐπὶ τοῖς ἱματίοις διεφθάρη, ἀλλ' ἕτερον ἰδὼν ἄλλους* [ita Kayser in mus. Rhen. XII p. 236] *τι κακὸν ποιοῦντας ἀπέθανεν ὑπ' αὐτῶν, τίς οἶδε.*' Quibus haec dicere voluit: 'propter vestimenta eum confossum esse non repugnat veri similitudini. Nam ex illo quidem, cui tu multum tribuis [cf. or. primam §. 4], quod spoliatus non est vestimentis nihil contra meam opinionem colligi potest. Sed quis scit an ab aliis interemptus sit, ne fieret index flagitii quod illi patraverant?' In mente igitur orator iam habebat novum illud

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod dicturus erat ideoque μέν ibi posuit. Porro ad or. de c. Her. 86 [p. 241] Maetzner haec adiecit 'neque verendum est ne μὲν γάρ opposito δέ carens offendat cordatos lectores. Vide nostra II, α, §. 7.' Sane non offendet cordatos lectores quod non ipsa δέ particula, sed alia similis, ut hic μέντοι, opposita est; ea enim respondet illi μέν quod a suo loco ad verbum primarium traiectum est. Ultimum denique exemplum Maetzner invenit in tetralogiae tertiae initio 'Νενόμισται μὲν ὀρθῶς τὰς φονικὰς δίκας περὶ πλείστου τοὺς κρίνοντας [accusatores] ποιεῖσθαι διώκειν τε καὶ μαρτυρεῖν κατὰ τὸ δίκαιον, μήτε τοὺς ἐνόχους ἀφιέντας μήτε τοὺς καθαροὺς εἰς ἀγῶνα καθιστάντας.' Iam ut eius usus sanctissimi reddat rationes occiso homine et divinas et humanas violari leges orator exponit [2—4]. In quibus postremo ad hanc devenit sententiam 'hominum peremptorum ultores non debere insectari insontes propter alias quasdam simultates, sed nihil spectandum esse nisi ut mortuorum manes placentur.' Quae si mente attenta legerimus, tenebimur tamquam in suspenso: nam exspectamus sententiam quasi ἀντίστροφον, quae illis νενόμισται μέν . . . verbis praeparata est, neque exspectatio nos fallit. Sequuntur enim quae adscripsi [5]. 'Ἐγὼ μὲν οὖν δεδιὼς ταῦτα, εἰς ὑμᾶς παράγων τὸν ἀσεβήσαντα καθαρὸς τῶν ἐγκλημάτων εἰμί· ὑμεῖς δὲ ἀξίως τῶν προειρημένων τῇ κρίσει προσέχοντες τὸν νοῦν ἀξίαν δίκην τοῦ πάθους τῷ εἰργασμένῳ ἐπιθέντες ἅπασαν τὴν πόλιν καθαρὰν τοῦ μιάσματος καταστήσετε.' Videmus per ἐγὼ μὲν οὖν . . . voces resumere oratorem quae principio dixerat, nisi quod quae antea generaliter ostenderat debere accusatores 'τὰς φονικὰς δίκας διώκειν τε καὶ μαρτυρεῖν κατὰ τὸ δίκαιον', ea nunc expositis his rationibus speciatim de se solo adhibet. Sibi autem atque omnino accusatoribus convenientissime opponit iudices, et hi quoque ut pro virili portione suo munere fungantur postulat. Ergo δέ illud post ὑμεῖς positum duabus μέν particulis respondet, alteri quae initio orationis, alteri quae post ἐγώ pronomen [5] legitur. Atque simile est hoc exemplis eis quae extant in orationis in novercam §. 13 'περὶ μὲν οὖν τούτων οὐκ ἄδηλον . . . ταῦτα μὲν οὖν μέχρι τούτου· περὶ δὲ τῶν γενομένων πειράσομαι ὑμῖν διηγήσασθαι τὴν ἀλήθειαν', nisi quod hic inter duas μέν voces pauciora interposita sunt quam illic, et in orat. de c. Her. 26 'λέγουσιν ὡς ἐν μὲν τῇ γῇ ἀπέθανεν ὁ ἀνήρ . . . . . καὶ τοῦτο μὲν ἀκριβῶς οὗτοι ἴσασιν· ὅπως δ' ἠφανίσθη ὁ ἀνὴρ οὐδενὶ λόγῳ εἰκότι δύνανται ἀποφαίνειν' et ibidem 30 'καὶ ὃν μὲν τότε παραχρῆμα ἐβασάνισαν, οὗτος μὲν οὐδὲν εἶπε περὶ ἐμοῦ φλαῦρον· ὃν δ' ἡμέραις ὕστερον πολλαῖς ἐβασάνισαν . . . . οὗτος ἦν ὁ πεισθείς κτλ.' et 54 'ὅτι μὲν μακρὸν εἴη πρᾶγμα, τοῦτο μὲν ἄν τις ἀναγκασθείη γράψαι. Τοῦτο δὲ βραχὺ ἦν.' Quorum exemplorum omnium communis ea est ratio quod ubi alterum accedit μέν eadem quae cum priore μέν particula illata sunt denuo quasi comprehenduntur, apparetque satis cum re vera non sint nisi duae sententiae quae inter se vinculo illo conectantur unum sufficere δέ quod referatur ad duo μέν vocabula. Neque dissimile fuerit Antiphontis id exemplum quo tribus adeo μέν coniunctionibus unam δέ reperimus oppositam, quod affert Demetrius, si modo huic sit idonea auctoritas: nam quae ipse praemisit grammaticum produnt qui dictionem Antiphontis accuratam non videatur perspexisse. Habet autem ille haec: 'Χρὴ δὲ καὶ τοὺς συνδέσμους μὴ μάλα ἀνταποδίδοσθαι,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

οἷον τῷ μὲν συνδέσμῳ τὸν δὲ (μικροπρεπὲς γὰρ ἡ ἀκρίβεια), ἀλλὰ καὶ ἀτακτοτέρως πως χρῆσθαι, καθάπερ που ὁ Ἀντιφῶν λέγει [in oratione de tributo ut videtur Samothracum scripta] "Ἡ μὲν γὰρ νῆσος, ἣν ἔχομεν, δήλη μὲν καὶ πόρρωθεν, ὅτι ἐστὶν ὑψηλὴ καὶ τραχεῖα καὶ τὰ μὲν χρήσιμα καὶ ἐργάσιμα μικρὰ αὐτῆς ἐστι, τὰ δ'ἀργὰ πολλὰ μικρᾶς αὐτῆς οὔσης." Τρισὶ γὰρ τοῖς μὲν συνδέσμοις εἷς ὁ δὲ ἀνταποδίδοται.' Praeter haec in Antiphontis reliquiis exempla alia quibus illorum vocabulorum usus a trita sermonis consuetudine recedat frustra quaeres: nisi forte quis ea censet commemoranda esse quae iam a Maetznero recte expedita sunt, de caed. Her. 14 'ὑπάρχει μέν γε αὐτοῖς ἀρχαιοτάτοις εἶναι ἐν τῇ γῇ ταύτῃ, ἔπειτα τοὺς αὐτοὺς ἀεὶ περὶ τῶν αὐτῶν' et de salt. 13 'καθειστήκει μὲν ἡ χορηγία οὕτω. καὶ τούτων εἴ τι ψεύδομαι, ἔξεστιν ἐξελέγξαι', ubi ἔπειτα et καί vocibus satis declaratum est quae sententiis in quibus est μέν coniunctio respondeant. Ne longe abeam, Antiphon, qui accurato dicendi genere usus est, μέν solitarium adhibuit nusquam nisi ubi ex loquendi usu vulgari id erat concessum. Neque hercule in eis verbis propter quae totam hanc disputationem ingressi sumus legentis exspectationem quae posita μέν particula concitatur voluisse fallere existimandus est. Nam in sententiis proximis in nullum incidimus vestigium verborum quae ad illa 'καὶ τοὺς μὲν νόμους οἱ κεῖνται περὶ τῶν τοιούτων . . . .' mutua ratione queant referri. Atqui intellectum esse puto Antiphontem solere sententiam quasi ἀντίστροφον quam μέν particula praemissa praeparavit si non claris semper verbis exprimere, at aliquo certe modo in tota eorum quae sequuntur serie indicare: quod sicut est illius particulae rationi consentaneum, ita a sano scriptore plerumque vix aliter poterit institui. Malo igitur omine illa verba, quae eadem ob alias causas suspectanda esse docui, ex oratione de caede Herodis scripta claudicantem huc pedem intulerunt. Si quis autem ex me quaerat qui factum sit ut illa interpolarentur, respondeam ei non posse omnes mentis humanae errores depravationumque eiusmodi fontes penitus indagari, videri autem mihi nescio quem grammaticum ad fraudem vel si mavis ad faciendum additamentum, quam somniaret emendationem esse, eo inductum quod paulo post satis multa ex eadem de nece Herodis oratione ab ipso Antiphonte iterata hic invenisset [de c. Her. 87—89 = de salt. 3 extr. — 6].

Quae ita geminavit ut nonnulla diversa intericeret. Et Lesbius quidem reus epilogo, qui incipit a §. 85, etiam atque etiam cohortatur precaturque iudices ut, quia secundum leges iuraverint se iudicaturos esse, ipsum absolvant. 'Nam ego, inquit, secundum quas postulatus sum leges eis non sum obnoxius, quibus autem teneor utrum recte tenear necne docebit certamen legitimum quod mihi relinquitur.' Erat enim, ut supra cognovimus, alio crimine in iudicium vocatus, alio postea insimulatus. 'Date igitur, cum vobis occasio sit, date aliquid tempori. Nam quo saepius quaesiveritis, eo propius accedetis ad veritatem eoque aequius iudicabitis.' Hinc incohatur communis utrique orationi pars, in qua hae fere insunt sententiae. 'Atque in capitalibus rebus cautione opus est maxima. Hae enim si non recte diiudicantur malum creatur insanabile, quo et di et homines laeduntur. Nam sive insons sis sive noxius debes cedere suffragio quod de te fertur et legi. Qua ipsa de

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

causa leges et iuraiuranda et qui alii sunt ritus in causis homicidiorum multo sunt severiora et subtiliora quam in ceteris. Aliud est autem actorem falso accusare, aliud vos iudices non recte decernere. Nam accusatio vim effectus in se nullam habet, e vestra autem sententia pendet ultimus rei exitus' [87—89]. Hinc desinunt verba esse aequalia alteri orationi. Addit autem Mytilenaeus haec: 'Recte igitur iudicabitis, si accusatores iusiurandum usu sancitum iuraverint et copiam mihi praebueritis ipsum crimen propositum purgandi. Quod fieri non poterit nisi nunc me absolvetis: ita postea legitima actione instituta suffragium vobis de me ferre licebit iustum' et quae sequuntur similia. Quae omnia bene inter se conexa sunt. Orator enim postquam in rem capitalem saepius inquiri utilissimum esse probavit [86] apto admodum loco illustrat cur de caede iudicia sint gravissima, quantaque vis iudicum sententiis tribuenda sit. Neque inconsulto sed plane ex peculiari conditione et opportunitate quasi rerum quae ad hanc orationem spectant iurisiurandi cum sanctissimis ritibus coniuncti fecit mentionem [88]. Etenim iam antea [11—12] accusatoribus testibusque eorum exprobraverat quod non obstricti essent iureiurando illo 'summo atque sacerrimo' in rebus capitalibus iurari solito, et postea quoque ad haec sua quae modo dixit [88] verba respicit argumentaturque ex eis haec '*πῶς ἂν οὖν ὀρθῶς δικάσαιτε περὶ αὐτῶν; εἰ τούτους* [actores] *ἐάσετε τὸν νομιζόμενον ὅρκον διομοσαμένους κατηγορῆσαι*' [90] ac similiter infra [96]. Quorsum haec? quia demonstrare volui oratorem cum scriberet quae redeunt in altera oratione non hausisse ea ex copia locorum de quibus dixi communium, sed composuisse in huius ipsius orationis continuatione.

Aequalem igitur illam verborum partem minus egregie convenire alteri de saltatore orationi vel certe minus ibi suum tenere locum iam a principio suspiceris: nam, ut dixi, ubi quae primigenia sunt ibi solent aptius concepta esse. Ac sane quae de iureiurando monentur [6] ea hic et carent acerba illa quam indicavi reprehensione actoris et omnino cum reliquis non tam arcte cohaerent, cum nec ad violatum ab accusatoribus ritum iurandi respiciatur nec postea quidquam inde colligatur. Deinde illic Lesbius ut verba illa communia de gravitate iudiciorum capitalium faceret motus erat causa peculiari: volebat enim rem suam procrastinari ac permitti foro legitimo ut denuo in eam inquireretur. In choragi vero oratione nulla eiusmodi causa est cur illa proferantur, sed omnia sunt generalia. At quamvis ea hic minus sint apta ac propria, non sunt tamen prorsus inepta. Ab initio enim reus de summo suo discrimine loquitur, tum, si exterminamus §. 2, transit ad iudices verbisque illis geminis ostendit quantam vim habeant eorum suffragia, extrema denique exordii parte [7—10] vituperat accusatores qui non ipsam rem sed alia de se invidiose criminentur. Quae cum parte illa gemina vinculo non arctissimo quidem sed tamen non nullo coniuncta sunt. Apparet enim iudicum immutatae et auctoritati et severitati opponi aliquatenus licentiam accusatorum qui crimina arbitratu suo comminiscantur. Ergo sententiae hactenus ansam nullam dant ad reprehendendum.

Nihilominus Dobreeus in adversariis [p. 173] gemina illa ex hac oratione tolli voluit, ut tamen quae nova interiecta leguntur retineret. Scribi iubet igitur '*ἔστι μὲν γὰρ*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

περὶ τούτου μία δίκη · ἀνάγκη δ' ἐὰν ὑμεῖς καταψηφίσησθε, εἴργεσθαι πόλεως ἱερῶν . . . αὐτὸς αὑτὸν ἀποστεροίη. Ἐγὼ δὲ [7], ὦ ἄνδρες κτλ.' Quae fortasse commendavit ad devitandam eorundem verborum in diversis orationibus iterationem, in qua haerendum ei non erat. Praeterea unum quo utitur argumentum, de quo ipse ambigit, inane esse infra docebo. Cum argumentis autem quia ipsa quoque Dobreei coniectura concidit, debent omnia manere intacta. Sed ponamus paulisper eum a vero non aberasse et videamus quae ea conditione dicat choragus. 'Est enim de eiusmodi causis unum certamen, necessarium est autem si vos damnaveritis arceri patria sacris ludis, quae carissima et antiquissima hominibus sunt.' Haec iusto brevius et abruptius dicta sunt. Post commemoratum enim illud unum certamen carere vix possumus verbis quibus insontes quoque semel lato suffragio iudicum se submittere debere inque perniciem adduci reus declaret. Hoc ipsum autem in eis quae omisit Dobreeus post 'μία δίκη' vocabula inest 'αὕτη δὲ μὴ ὀρθῶς καταγνωσθεῖσα ἰσχυροτέρα ἐστὶ τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀληθοῦς.' Sequuntur haec 'Tanta enim necessitas legis est ut etiamsi quis occidat mancipium suum et non sit qui puniat, tamen ritus vetusti et divini numinis verecundia lustralibus sacris expiandum se curet et abstineat ab eis quibus ei lege interdictum est, sperans ita se optime rem gesturum esse.' 'Tanta necessitas legis est' 'ei lege interdictum est' nonne his legis vis ac potestas illustratur, ut putaveris antea diserte legem nominatam esse? Nominata non est nisi in eis quae post καταψηφίσησθε vocem omittenda esse censuit Dobreeus: 'καὶ μὴ ὄντα φονέα μηδὲ ἔνοχον τῷ ἔργῳ χρήσασθαι τῇ δίκῃ καὶ νόμῳ [εἴργεσθαι πόλεως . . .' Iam quod dixerat orator 'ita sperare occisorem cui nulla poena immineat optime se rem gesturum esse', id eum movet ut a proposito paululum digrediatur affirmetque cum spe eripi hominibus unicum vitae humanae quasi adminiculum. Et digressione ea cum Drobreeo existimabis finiri hanc exordii partem qua reus exposita invicta legum iudiciorumque vi iudicibus persuadere studeat ut recte rem administrent? Equidem non existimo, sed desiderem minimum clausulam aliquam qua denuo stimulati sint iudices ad recte cauteque iudicandum. Quod licet copiose at certe non inepte fit eis quae sustulit Britannus [5 et 6]. Itaque qui in verbis qualia ille Antiphontem scripsisse statuit deprehenduntur sententiarum tamquam hiatus eidem bene explentur si nihil omittitur. Ac fuisset profecto qui interpolavit haud spernendus artifex, qui cum intellexisset desiderari hic nonnulla ad complendam sententiam partem alterius orationis satis apte adhibuisset intulissetque particulam eius ante verba quae hic sufficere non viderentur, particulam post ea. Cuius artificis vestigia scrutatus est Dobreeus: 'si haec, inquit, verba lin. 42 [5 extr. ed. Bekk.] κἂν μὴ ὁ τιμωρήσων ᾖ ex p. 139, 41 [orat. de c. Her. 87 extr.] supplenda sunt ἄλλως τε καί . . ., patet fraus interpolatoris: Lesbio enim conveniunt, Atheniensi et in rebus forensibus exercitato minime. Videndum tamen an primum ex p. 141, 34 [de salt. 4] orta sint.' Sed sit illud ἄλλως τε recte a Dobreeo huic orationi [5] interpositum, quid tandem in illa sententia generali facit utrum Lesbius eam pronuntiet an Atheniensis? Deceptus est fortasse Britannus obscura quadam cogitatione de Lesbio, qui verbis qualia sunt ἄλλως τε κἂν μὴ ᾖ ὁ τιμωρήσων relictis Athenis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quippe Mytilenaeum se certamen effugere potuisse significasset. Sed illud ἄλλως τε in orationem de salt. ut inferendum sit auctoribus Dobreeo et Reiskio, nam is idem olim suaserat, tantum abest, ut in oratione quae est de nece Herodis delendum esse censeam. Verba ibi [87] haec sunt 'καὶ οὐδεὶς ἂν τολμήσειεν οὔτε τὴν δίκην τὴν δεδικασμένην παραβαίνειν πιστεύσας αὐτῷ ὅτι οὐκ ἔνοχός ἐστιν, οὔτε ξυνειδὼς αὐτῷ τοιοῦτον ἔργον εἰργασμένῳ μὴ οὐ χρῆσθαι τῷ νόμῳ. ἀνάγκη δὲ τῆς δίκης νικᾶσθαι παρὰ τὸ ἀληθὲς, αὐτοῦ τε τοῦ ἀληθοῦς, ἄλλως τε κἂν μὴ ᾖ ὁ τιμωρήσων.' Quibus easdem sententias bis posuit orator primum negando, deinde contrarium affirmando, et respondent ad amussim inter se hae 'οὐδεὶς ἂν . . . πιστεύσας ὅτι οὐκ ἔνοχός ἐστιν' atque 'ἀνάγκη τῆς δίκης νικᾶσθαι παρὰ τὸ ἀληθές', item 'οὐδεὶς ἂν τολμήσειεν . . . ξυνειδὼς αὐτῷ τ. ε. . . . μὴ οὐ χρ. τῷ νόμῳ' et 'ἀνάγκη νικᾶσθαι αὐτοῦ τοῦ ἀληθοῦς, ἄλλως τε κἂν μὴ ᾖ ὁ τιμωρήσων', dummodo ἄλλως τε voces omittantur. Nam sententia est haec 'ipsius veritatis conscientiae cedere necessarium est, etiamsi non sit qui ulciscatur.' Si enim est ultor multo facilius veritatis vi superantur malefici: sed ne si nullus quidem verendus est vindex plane obmutescit conscientia. Contra si verba essent 'veritati cedere cogeris praesertim si non sit qui ulciscatur', significaretur simul, quod hic prorsus absonum est, multo difficilius nos veritatis conscientia vinci si sit ultor verendus. Immo si ultor est vi cogimur legibus obtemperare, neque tum pendet id ex nostro arbitrio. Eo magis autem ἄλλως τε voces removendae sunt quia in aequali parte alterius orationis non leguntur, et quomodo huc irrepserint facile intellegitur. Nam ἀληθοῦς vocabulum scribendi neglegentia iteratum eius quod est ἄλλως speciem assumpserat, et postea ἄλλως καὶ ἐάν verba mutata sunt in ἄλλως τε καὶ ἐάν quae Graecam certe speciem prae se ferrent.

Ergo Dobreei opinio omnibus numeris falsa est, atque quod ipse ambigens addit fortasse in orat. de salt. 5 κἂν μὴ ὁ τιμωρήσων ᾖ verba ex eis quae §. 4 leguntur 'ὧν αὐτὸς κρατεῖ καὶ μὴ ἔστιν ὁ τιμωρήσων' orta esse, id et ipsum plane invertendum est. Antiphonti enim cum haec scriberet versata est ob oculos illa altera oratio, eiusque particulam aliquam primum huc recepit non mutatam. Tum nova quaedam cum rei propositae argumento arctius coniuncta se sensit apte intericere posse addiditque illa quibus reus metum exhibet suum ne damnatus urbe sacris ludis arceatur: ea enim poena fuit 'βουλεύσεως', cuius erat accusatus. His autem Antiphon, memor eorum quae modo in orat. de c. Her. legerat 'ἀνάγκη τῆς δίκης . . . μὴ ᾖ ὁ τιμωρήσων', intermiscuit illud exemplum hominis qui quamvis necasset 'τινὰ ὧν αὐτὸς κρατεῖ καὶ μὴ ἔστιν ὁ τιμ.' tamen scelus expiare studeret abstineretque urbe et sacris. Deinde rediit ad illa quorum partem huc ex altera oratione iam transtulerat. Quocirca equidem non dubito quin Mytilenaeus causam suam egerit ante choragum. Illud quoque nunc facile concedetur verba quae praeterea utrobique aequalia sunt item in oratione de c. Herod. prius fuisse scripta, dico eius §. 84, cuius maior pars paene ad verbum repetita est alterius de salt. §. 28, cetera non mutata §. 47.

Eadem autem de saltatore oratio Athenis nequit habita esse nisi ante quadringentorum imperium. Nam choragus nullo loco 'τῷ πλήθει' Atheniensium [se defuisse gloriatur [9]

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

atque mentionem facit senatus [9 et 45], cuius cum esset aliquamdiu praeses adeo sacrificia obtulit et precatus est pro forma rei publicae populari [ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας]. Atqui sub quadringentis nec adulari populo Atheniensium nec esse potuit in senatu qui ab illis erat sublatus. Illorum autem imperium constitutum est Athenis hieme anni Ol. 92, 1 [mense Februario vel Martio anni a. Chr. n. 411]. Quattuor vel quinque mensibus post plurimi expulsi, nonnulli insignes, quorum in numero Antiphon fuit, interempti sunt. Neque enim curandus est Forchhammer [de Areopago p. 31 et sq.], qui contra Boeckhium contendit illum sub triginta potius tyrannnis videri perisse. Et mirum est recentissimis etiam temporibus falsam eandem sententiam valere apud homines doctos. Sic nuper Valentinus Rose in 'Aristotele pseudepigrapho' [p. 555] Antiphontem anno Ol. 94, 1 [a. Chr. n. 404] necatum esse tradit. At Lysias, ut id unum commemorem — nam omnia nunc colligere non est opus —, Lysias in oratione contra Eratosthenem habita ubi Theramenis facta perstringit [65] hunc narrat persuasisse Atheniensibus ut quadringentorum imperium acciperent. Tum [66] Aristocratis rerum eum participem fuisse atque [67] ut multitudini civium placeret Antiphontem et Archeptolemum, qui inter praecipuos illius imperii auctores fuerant, interfecisse. Quod dubitandum non est quin statim post exstinctam quadringentorum auctoritatem factum sit. Habita est igitur oratio ante hiemem anni Ol. 92, 1 [411 a. Chr. n.] et post annum Ol. 90, 3 extr. [417], quo alteram de caede Herodis antiquiorem non esse demonstravi: si vero placet coniectura qua hanc tempori expeditionis in Siciliam susceptae assignandam esse suspicatus sum, etiam illam composuerit Antiphon non ante annum Ol. 91, $\frac{1}{2}$ [415]. Atque ad hanc usque expeditionem etiam alia re deducimur. Extant enim reliquiae orationis Antiphonteae *κατὰ Φιλίνου* scriptae [fragm. XIX ap. Saupp.], ubi Thetes ad arma vocatos esse legimus. Quod cum in rerum augustiis videatur factum esse, Sauppius eam orationem ad tempora cladis Siculae refert. Noster autem choragus dicit se Aristionem Philinum Ampelinum peculatus reos egisse. Quapropter fere sub idem tempus eundem etiam in illa causa Antiphontis opera usum esse merito Sauppius coniecit. Deinde legimus haec [11]: *'Ἐπειδὴ χορηγὸς κατεστάθην εἰς Θαργήλια καὶ ἔλαχον Παντακλέα διδάσκαλον καὶ Κεκροπίδα φυλὴν πρὸς ιῇ ἐμαυτοῦ, τουτέστι τῇ 'Ερεχθηΐδι, ἐχορήγουν ὡς ἄριστα ἐδυνάμην καὶ δικαιότατα.'* Solebant Athenis plerumque tribus singulae singulos praebere choragos. Sed calamitosis rei publicae temporibus ut ad singulas choregias—utar enim in re Graeca Graeco vocabulo — exornandas bini se coniunxerunt, quod factum est anno Ol. 93, 3 archonte Callia [Boeckh. vec. civ. II, add. VI cll. I, 708 et sq. 598], ita haud est incredibile in rebus angustis binas tribus sorte ut legimus consociatas esse ad singulos praebendos choragos. Nam ita quoque fortunarum penuriae subveniebatur. Si enim binarum tribuum ditioribus viris eadem praestanda erant quae aliis temporibus singularum, apparet dimidia parte rarius unicuique vices gerendas fuisse. Neque tamen credo quidquam in choregiarum ratione mutatum esse nisi temporibus funestis in inopia pecuniae. Quam incessisse patet rebus in Sicilia non iam florentibus anno Ol. $91\frac{3}{4}$ [413]. Ergo si statuamus reum qui se defendit ad huius Thargelia choragum factum esse, oratio habita fuerit insequentis anni

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

[91, 4] mense Pyanepsione. Nam illo superiore anno quamquam accusatus erat tamen causa a rege iudicii praeside non iam poterat constitui, quia eius potestati non restabant nisi duo menses Thargelio et Scirrophorio [42]. Quibus instruere causam rex non poterat, quoniam incohatam rem successori tradere ex iure Attico non licebat. Proximo autem anno adversarii non ante Metagitnionem denuo choragum accusarunt [44], atque cum tribus mensibus tres '*προδικασίαι*' instituendae essent, causa ipsa orata est Pyanepsione, qui illo anno Ol. 91, 4 [413] a medio nostro mense Octobri incepit [Boeckh. cycl. lun. p. 27]. Si vero ad Thargelia huius demum anni choregiam suscepit, eodem pacto pervenimus ad Pyanepsionem anni Ol. 92, 1 [412] nostrumque mensem Novembrem. Latius descendere non licet. Nam anni illius vere [411] circa Munychionem quadringentorum imperium constitutum est; nonnullis vero mensibus post Antiphon periit. Itaque non videor mihi posse longe recedere a vera ratione si ex illis duobus annis [Ol. 91, 4 et 92, 1] alterutrum eligendum proponam. Etiam ex his uter praeferendus sit poterit fortasse certius statui. Discimus enim ex §. 44 eius anni Hecatombaeonem plenum triginta dierum fuisse mensem. Si igitur qui anni illo tempore a plenis, qui a mutilis vel cavis undetriginta dierum mensibus initium sumpserint stabilitum erit, oratio facile certioribus terminis includetur. Sed eam quaestionem qui solvere cupiet delabetur in campum perquam lubricum et instabile. Augustus Mommsenius quidem in eis quae contulit ad illustrandam Graecam rationem temporum [Suppl. ann. philol. Fleckeis. vol. I. a. 1855. p. 265 et sq.] proposuit tabulas, quibus anni Ol. 91, 4 Hecatombaeoni novem et viginti, insequentis autem anni triginta tribuuntur dies. At ille fundamento totius rationis suae eo nisus est ut cyclum Metonis iam ex anno Ol. 87, 1 Athenis publice adhibitum esse sumeret. Quod fundamentum etsi firmare auctor conatus est [maxime in mus. Rhen. vol. XIII a. 1858 p. 428 et sqq. p. 497 et sqq.], tamen cum ab aliis tum a Boeckhio [stud. epigr. et chronol.] et Em. Muellero [mus. Rhen. XIIII p. 41 et sqq., ann. phil. Fleck. a. 1859 p. 639 et sqq.] pedibus illius merito videtur subtractum esse. Cum fundamento autem eo etiam illa Mommsenii ratio quae in meam cadit quaestionem corruit, neque ipse nunc ausim in ea re difficillima certum ferre iudicium.

IIII.

Restat ut quaeramus cui tempori in novercam scripta oratio assignanda sit. Neque enim adstipulor Maetznero, qui eam non habitam in iudicum consessu sed adnumerandam esse censet scholasticis declamationibus [comment. p. 125.]. Qui quas attulit causas idoneas esse nego. Etenim nec inde quod tetralogiae, quibus ficta certamina exhibeantur, sequuntur in codicibus, nec quod similes aliquando causae ad veneficam spectantes tractabantur, quidquam certi colligi potest. Neque recte se habet quod Maetzner novercam, quam veneficii in maritum patrati insimulat privignus, ab hoc Clytemnestram vero nomine appellatam esse opinatur. Apparet enim per irrisionem comparari eam cum coniuge Agamemnonis [17]. Porro in nomine Philonei, qui fuit amicus illius mariti, nihil suspecti di-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gnosco. Atque discrepat haec oratio a tetralogiis quod illius interempti viri nomen diserte traditum est, cum tamen in illis ne unum quidem eiusmodi nomen prolatum sit. Denique quod iudicum collegium compellatum est '*ὦ δικάζοντες*', mirum illud quidem, sed videtur aliter esse scriptum ab Antiphonte. Kayser certe [mus. Rhen. XVI. 1861 p. 71] pro illis scribendum proposuit '*ὧδ' εἰκάζοντι*'. De tempore autem huius orationis aliqua ratione iudicare licebit si eam contulerimus cum oratione quae est de saltatore, in qua haud pauca similia ac tantum non paria leguntur [in nov. 6—13. de salt. 23—32]. Uterque enim orator suae causae veritatem eo firmare studet quod adversarii ad rem indagandam vel servos torquendos dare vel ingenuorum hominum testimonia audire noluerint. Consilium vero utriusque diversum est, cum alter sit actor, reus alter. Itaque pro causarum diversitate nonnulla diversa illis quae denotavi ab utroque admixta sunt, atque maxime is qui se defendit paulo longius evagatus est. Sed spectemus singula quatenus e re erit. Primum uterque adversarios exponit frustra a se invitatos esse ['*προὐκαλούμην*' in nov. 6. de salt. 23] ad certam rei notitiam contrahendam: alterum, dico adversarium privigni qui novercam veneficii arcessit, recusasse ne servos suos torqueret, alteros, choragi qui se defendit accusatores, nec ingenuorum hominum nec mancipiorum testimonia accipere voluisse. Sequuntur deinde privigni verba quibuscum composui quae paulo post addit choragus.

In nov. 7.

*Μὴ γὰρ ὁμολογούντων τῶν ἀνδραπόδων οὗτός τ' εὖ εἰδὼς ἂν ἀπελογεῖτο καὶ ἀντέσπευδε πρὸς ἐμὲ, καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ ἀπήλλακτο ἂν ταύτης τῆς αἰτίας · ὅπου δὲ μὴ ἠθέλησεν ἔλεγχον ποιήσασθαι τῶν πεπραγμένων, πῶς περί γ' ὧν οὐκ ἠθέλησε πυθέσθαι ἐγχωρεῖ αὐτῷ περὶ τούτων εἰδέναι; πῶς οὖν περὶ τούτων, ὦ δικάζοντες *, αὐτὸν εἰκὸς εἰδέναι, ὧν γε τὴν ἀλήθειαν οὐκ εἴληφε;*

De salt. 29.

Καὶ εἰ μὲν πάνυ μὴ παρεγένοντο μάρτυρες, ἐγὼ δὲ παρειχόμην, ἢ τοὺς παραγενομένους μὴ παρειχόμην, ἑτέρους δέ τινας, εἰκότως ἂν οἱ τούτων λόγοι πιστότεροι ἦσαν τῶν ἐμῶν μαρτύρων · ὅπου δὲ μάρτυράς τε ὁμολογοῦσι παραγενέσθαι, καὶ ἐγὼ τοὺς παραγενομένους παρέχομαι, καὶ εὐθὺς ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρας καὶ αὐτὸς ἐγὼ καὶ οἱ μάρτυρες πάντες φανεροί ἐσμεν λέγοντες ἅπερ νυνὶ πρὸς ὑμᾶς, πόθεν χρὴ, ὦ ἄνδρες, ἢ τἀληθῆ πιστὰ ἢ τὰ μὴ ἀληθῆ ἄπιστα ποιεῖν ἄλλοθεν ἢ ἐκ τῶν τοιούτων;

Haec et ad structuram sermonis inter se paria sunt et ad sententiam haud dissimilia, nisi quod et personis dicentium et causarum discrepantiae convenienter in suum utraque cursum deflexa sunt. Subicio quae eadem ratione inter se comparari possunt.

In nov. 8.

Ἐκ μὲν γὰρ τῆς τῶν ἀνδραπόδων βασάνου εὖ ᾔδει ὅτι οὐχ οἷόν τ' ἦν αὐτῇ σωθῆναι, ἐν δὲ τῷ μὴ βασανισθῆναι ἡγεῖτο τὴν σωτηρίαν εἶναι.

De salt. 24.

. . . . οὐδεπώποτε ἠθέλησαν ἐλθεῖν ἐπὶ τοῦτο τὸ δίκαιον, εὖ εἰδότες ὅτι οὐκ ἂν τούτοις κατ' ἐμοῦ ἔλεγχος ἐγίνετο οὗτος, ἀλλ' ἐμοὶ κατὰ τούτων ὅτι οὐδὲν δίκαιον οὐδ' ἀληθὲς ᾐτιῶντο.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In nov. 8.

. . . οὐκ ἠθέλησε σαφῶς πυθέσθαι ἐμοῦ ἐθέλοντος τῇ δικαιοτάτῃ βασάνῳ χρήσασθαι περὶ τούτου τοῦ πράγματος.

De salt. 26.

Ἐγὼ ὁ τὴν αἰτίαν ἔχων . . . ἕτοιμος ἦν αὐτοῖς κατ' ἐμαυτοῦ παρέχειν ἔλεγχον τὸν δικαιότατον· οἱ δ' αἰτιώμενοι καὶ φάσκοντες ἀδικεῖσθαι αὐτοὶ ἦσαν οἱ οὐκ ἐθέλοντες ἐλέγχειν εἴ τι ἠδικοῦντο.

Deinde privignus declarat cur servorum testimoniis causam suam voluerit tueri, nec frustra quaeres apud alterum verba quae illis respondeant [22], licet sint paulo alia alia in causa. Tum postquam aequissimam servos interrogandi rationem se proposuisse ostendit, '. . *εἰ δὲ ἄπαρνοι* [servi] *γίνοιντο*, inquit, *ἢ λέγοιεν μὴ ὁμολογούμενα, ἡ βάσανος ἀναγκάζοι τὰ γεγονότα κατηρογεῖν· αὕτη γὰρ καὶ τοὺς τὰ ψευδῆ παρεσκευασμένους λέγειν τἀληθῆ κατηγορεῖν ποιήσει.*' Similiter choragus, qui, ut convenit causae, etiam de testimoniis liberorum hominum locutus est, inculcat vim cruciatus '. . *ὅπου . . ἀναγκάζειν . . . ἐξείη τοὺς δούλους ἑτέραις ἀνάγκαις, ὑφ' ὧν καὶ ἦν μέλλωσιν ἀποθανεῖσθαι κατειπόντες, ὅμως ἀναγκάζονται τἀληθῆ λέγειν· ἡ γὰρ παροῦσα ἀνάγκη ἑκάστῳ ἰσχυροτέρα ἐστὶ τῆς μελλούσης ἔσεσθαι.*' Maxime autem inter se respondent haec:

In nov. 11.

Καίτοι εὖ οἶδά γε, εἰ οὗτοι πρὸς ἐμὲ ἐλθόντες, ἐπειδὴ τάχιστα αὐτοῖς ἀπηγγέλθη ὅτι ἐπεξίοιμι τοῦ πατρὸς τὸν φονέα, ἠθέλησαν τὰ ἀνδράποδα ἃ ἦν αὐτοῖς παραδοῦναι, ἐγὼ δὲ μὴ ἠθέλησα παραλαβεῖν, αὐτὰ ἂν ταῦτα μέγιστα τεκμήρια παρείχοντο ὡς οὐκ ἔνοχοί εἰσι τῷ φόνῳ. νῦν δ' ἐγὼ γάρ εἰμι τοῦτο μὲν ὁ θέλων αὐτὸς βασανιστὴς γενέσθαι, τοῦτο δὲ τούτους αὐτοὺς κελεύων ἀντ' ἐμοῦ βασανίσαι, ἐμοὶ δή που εἰκὸς ταῦτα αὐτὰ τεκμήρια εἶναι ὡς εἰσὶν ἔνοχοι τῷ φόνῳ.

De salt. 27.

Καὶ εἰ μὲν ἐγὼ τούτων προκαλουμένων μὴ ἠθέλησα τοὺς παραγενομένους ἀποφῆναι, ἢ θεράποντας ἐξαιτοῦσι μὴ ἤθελον ἐκδιδόναι, ἢ ἄλλην τινὰ πρόκλησιν ἔφευγον, αὐτὰ ἂν ταῦτα μέγιστα τεκμήρια κατ' ἐμοῦ ἐποιοῦντο ὅτι ἀληθὴς ἦν ἡ αἰτία· ἐπεὶ δ' ἐμοῦ προκαλουμένου οὗτοι ἦσαν οἱ φεύγοντες τὸν ἔλεγχον, ἐμοὶ δήπου δίκαιον κατὰ τούτων τὸ αὐτὸ τοῦτο τεκμήριον γενέσθαι ὅτι οὐκ ἀληθὴς ἦν ἡ αἰτία ἣν αἰτιῶνται κατ' ἐμοῦ.

Atque in eis quoque quae sequuntur formas sententiarum simillimas et ipsas sententias paene pares esse lector semel admonitus perspiciet.

In nov. 12.

Εἰ γὰρ τούτων ἐθελόντων διδόναι εἰς βάσανον ἐγὼ μὴ ἐδεξάμην, τούτοις ἂν ἦν ταῦτα τεκμήρια. τὸ αὐτὸ οὖν τοῦτο καὶ ἐμοὶ γενέσθω, εἴπερ ἐμοῦ θέλοντος ἔλεγχον λαβεῖν τοῦ πράγματος αὐτοὶ μὴ ἠθέλησαν δοῦναι. δεινὸν δ' ἔμοιγε δοκεῖ εἶναι, εἰ ὑμᾶς μὲν ζητοῦσιν αἰτεῖσθαι ὅπως αὐτῶν

De salt. 28 et 29.

. . . εἰ μὲν τούτοις ἐμοῦ κατεμαρτύρουν οἱ μάρτυρες οἱ παραγενόμενοι, αὐτοῖς ἂν τούτοις ἰσχυροτάτοις ἐχρῶντο καὶ πίστιν ταύτην σαφεστάτην ἀπέφαινον, τοὺς μάρτυρας τοὺς καταμαρτυροῦντας· τῶν αὐτῶν δὲ τούτων μαρτυρούντων, ἃ μὲν ἐγὼ λέγω, ἀληθῆ εἶναι, ἃ δὲ οὗτοι λέγουσιν, οὐκ ἀληθῆ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

μὴ καταψηφίσησθε, αὐτοὶ δὲ σφίσιν αὐτοῖς οὐκ ἠξίωσαν δικασταὶ γενέσθαι δόντες βασανίσαι τὰ αὐτῶν ἀνδράποδα.

τοῖς μὲν μάρτυσι τοῖς μαρτυροῦσιν ἀπιστεῖν ὑμᾶς διδάσκουσι, τοῖς δὲ λόγοις οἷς αὐτοὶ λέγουσι πιστεύειν ὑμᾶς φασι χρῆναι, οὓς ἐγὼ εἰ ἔλεγον ἄνευ μαρτύρων, ψευδεῖς ἂν κατηγόρουν εἶναι. καίτοι δεινὸν εἰ οἱ αὐτοὶ μὲν μάρτυρες τούτοις ἂν μαρτυροῦντες πιστοὶ ἦσαν, ἐμοὶ δὲ μαρτυροῦντες ἄπιστοι ἔσονται.

Postremo ne quid desit hae partes aequales in utraque oratione exeunt in similes sententias. Alter orator contendit adversarium vera exquirere noluisse metu ne patesceret malum penes se domi suae residere [in nov. 13]. Alter rem ita detorquet ut ab ipsis adversariis cum testium inquisitionem defugerint quasi absolvi se atque ita illos ipsos causae suae subscriptores factos esse autumet [de salt. 31—32.]. Perspicuum est igitur, ut verbo dicam, totos hos locos inter se conexos esse arctissime. Etenim verba in eis multa sunt paria neque sententiae universae non in eodem fundamento eisdemque quasi adminiculis positae sunt. Nonnulla vero immutanda fuisse pro diversis oratorum consiliis per se patet. Atqui quoniam de locorum communium copia unde illa petita sint non minus quam supra alienum est cogitare, Antiphon alterutra ob oculos habuit cum altera scriberet. Quod cur factum sit facillime intellegitur. In utraque enim oratione agitur de veneficis, ut mirum non sit in componenda altera venisse in mentem oratori alterius qua similis causa tractaretur ex eaque nonnulla eum in illam desumpsisse. Atque ut in adhibendis iterum eis quae scripta iam erant anxii essent oratores Attici tantum aberat, ut ne aliena quidem dubitarent in suum usum convertere. In utra vero oratione prius illa verba similia extiterint in proclivi est conicere. Choragi videlicet verba sunt ampliora et speciosiora quam privigni, ut Antiphon haec ex illis videatur coartasse. Accedit hoc. Cum eis quae supra ex utraque oratione attuli [in nov. 11 = de salt 27] conspirant haec in oratione quae est de caede Herodis *'Καὶ εἰ μὲν ἐγὼ τὸν ἄνδρα ἠφάνισα ἢ μὴ ἤθελον ἐκδοῦναι τούτοις ἢ ἄλλον τινὰ ἔφευγον ἔλεγχον, αὐτοὶ δὴ τούτοις ἰσχυροτάτοις εἰς τὰ πράγματα ἐχρῶντο [ἂν] καὶ ἦν ταῦτα αὐτοῖς μέγιστα τεκμήρια κατ' ἐμοῦ· νῦν δὲ ὁπότε αὐτοὶ οὗτοι προκαλουμένων τῶν φίλων τῶν ἐμῶν ταῦτ' ἔφυγον, ἐμοὶ δήπου κατὰ τούτων εἶναι χρὴ ταῦτα τεκμήρια ὡς οὐκ ἀληθῆ τὴν αἰτίαν ἐπέφερον ἣν ἠτιῶντο'* [38]. Deinde quae proxima addit choragus cum his quae reus Mytilenaeus dicit cohaerere nemo erit quin intellegat dummodo semel inspexerit.

De salt. 28.

Ἐπίσταμαι δὲ καὶ τάδε, ὦ ἄνδρες, ὅτι εἰ μὲν τούτοις ἐμοῦ κατεμαρτύρουν οἱ μάρτυρες οἱ παραγενόμενοι, αὐτοῖς ἂν τούτοις ἰσχυροτάτοις ἐχρῶντο καὶ πίστιν ταύτην σαφεστάτην ἀπέφαινον, τοὺς μάρτυρας τοὺς καταμαρτυ-

De caed. Her. 84.

Ἐπίσταμαι δὲ καὶ τάδε, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅτι εἰ μὲν ἐμοῦ κατεμαρτύρουν οἱ μάρτυρες, ὥς τι ἀνόσιον γεγένηται ἐμοῦ παρόντος ἐν πλοίῳ ἢ ἐν ἱεροῖς, αὐτοῖς γε τούτοις ἰσχυροτάτοις ἂν ἐχρῶντο, καὶ πίστιν τῆς αἰτίας ταύ-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ροῦντας· τῶν αὐτῶν δὲ τούτων μαρτυρούντων, ἃ μὲν ἐγὼ λέγω, ἀληθῆ εἶναι, ἃ δὲ οὗτοι λέγουσιν, οὐκ ἀληθῆ, τοῖς μὲν μάρτυσι τοῖς μαρτυροῦσιν ἀπιστεῖν ὑμᾶς διδάσκουσι, τοῖς δὲ λόγοις οἷς αὐτοὶ λέγουσι πιστεύειν ὑμᾶς φασι χρῆναι.

τὴν σαφεστάτην ἀπέφαινον, τὰ σημεῖα τὰ ἀπὸ τῶν θεῶν· νῦν δὲ τῶν τε σημείων ἐναντίων τοῖς τούτων λόγοις γιγνομένων, τῶν τε μαρτύρων ἃ μὲν ἐγὼ λέγω μαρτυρούντων ἀληθῆ εἶναι, ἃ δ' οὗτοι κατηγοροῦσι ψευδῆ, τοῖς μὲν μαρτυροῦσιν ἀπιστεῖν ὑμᾶς κελεύουσι, τοῖς δὲ λόγοις οὓς αὐτοὶ λέγουσι πιστεύειν ὑμᾶς χρῆναί φασι.

Multa alia autem Antiphontem ex hac in illam orationem transtulisse demonstravi. Idem hic factum esse iudico. Probabile est igitur oratorem cum chorago illa scriberet quae omnium trium orationum communia sunt inspexisse de caede Herodis defensionem. Privigni autem verba paene paria, ut reliqua omnia quae ille dicit a §. 6 ad. §. 13, nonnullis quae mutanda erant mutatis sumpsit ex oratione choragi. Haec vero cum tribuenda sit anno aut Ol. 91, 4 aut 92, 1, in novercam oratio composita et fortasse etiam habita est, prout de illa statuas, anno aut Ol. 91, 4 aut Ol. 92, 1. Longius progredi non possumus: nam tempore quadringentorum parum veri simile est Antiphontem aliis scripsisse orationes.

Francofurti ad Viadrum typis Trowitzschianis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf